



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

412. Quales præeminentias & prærogativas habeat Coadiutor cum futura
successione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

CAPUT OCTAVUM.

De Iurisdictione, Prærogativis, Præminentii, Iuribus, Emodumentis & Alimentis Coadjutoris.

Quæstio 411. Qualem iurisdictionem habeat Coadjutor?



Respondet in genere Remouch. c. 15. n. 3. juxta c. de Rectoribus. de Cler. agrot. & ibi DD. habere illum iurisdictionem eandem, quam habet Coadjutor. Non nisi tamen cum modificatione; nimirum, ut nihil sibi actualiter arroget, nisi nomine & jure Coadjuti seu Prælati principalis. Remouch. loc. cit. n. 4. ita ut iurisdictione quod ad habitum perleveret in Coadjuto, & non nisi quod ad exercitium sit in Coadjutore. Sic enim Coadjutor Rectoris parochialis dicitur habere curam animarum, nimirum quod ad exercitium tantum, non autem quod ad habitum ipsius curæ, qui remanet penes Coadjutum. Fagn. in cit. c. de Rectoribus. Sic dum in cit. c. dicitur, quod Coadjutor dandus leproso Rectori Ecclesiæ habeat curam animarum, verbum illud *habeat* non intelligitur respectu tituli & habitus curæ, qui remanet penes infirmum, sed respectu exercitii tantum. Fagn. loc. cit. n. 34. citans Jo. And. in cit. c. de Rectoribus. v. curam habeat. Butrio ibidem n. 3. Card. n. 1. Anchar. n. 3. Imol. n. 1. & 3. Abb. n. ult. Rotam decis. 410. num. 5. q. 4. recent. qui omnes contra Glossam communiter reprobant dicunt, Coadjutorem tantum habere exercitium & administrationem, jus autem residere penes Coadjutum. Atque ita, ut subdit Fagn. num. 36. habemus in cit. cap. textum apertum secundum communem intellectum, quod quando quis dicitur habere vel obtinere officium ab alio obtentum, hoc non intelligitur respectu tituli, sed respectu exercitii tantum; & ita jus & ritulus ratiocatus in persona unius non evellitur, licet alteri dicti juris exercitium & administratio concedatur; uti de hoc in terminis Coadjutoris est textus in c. grandi. de suppl. negl. Prælat. in 6. ut ibi notat Anchar. n. 5. Huc quoque spectat, quod habet Fagn. in c. ex parte. de Cler. agrot. n. 28. quod Coadjutor Episcopi separatim tribunal statueret, aut habere non potest; sed in consueto tribunali Episcopi jus reddere debeat.

Quæstio 412. Quas præminentias & prærogativas habeat Coadjutor cum futura successione?

Respondet in genere: Gaudet iisdem præminentii, prærogativis & honoribus, quibus Coadjutor ratione dignitatis vel Canonatus, respectu cuius est Coadjutor. Castrop. 17. 13. d. 1. p. 10. n. 25. Remouch. c. 15. n. 3. Procedere idipsum tam intra quam extra Ecclesiam, in qua est dignitas vel Canonatus, respectu cuius est Coadjutor, tenent Remouch. loc. cit. Gonz. gl. 5. §. 9. n. 97. ubi: semper in moderatis Coadjutoris dicitur

solet, quod Coadjutor habere debeat omnes & singulas prærogativas, præminentias, & honores in Choro, Altari, Capitulo & processibus, nec non in actis capitularibus tam intra quam extra Ecclesiam, quas & quos prædictus N. ratione talis Dignitatis vel Canonatus & præbendæ habet, & si præsens esset, haberet. Eadem verobtenus habet Ventrigl. tom. 2. annot. 13. n. 25. & 34. ubi: Coadjutori non solum in Ecclesia Canonatus debentur omnes præminentia, & prærogativa, sed etiam extra Ecclesiam & absente Coadjuto, est tractandus tanquam verus & proprius Canonicus quod ad præminentias veris Canonicis debitas juxta decis. S. Congregat. Rituum in Pi-storiens. 15. Martii 1608. Eadem ferè habet Barbosa. lur. Eccles. l. 3. c. 10. n. 91. Verumtamen expresse sentit Pignat. tom. 4. consult. 185. num. 11. & seq. nempe quod Coadjutores extra suam Ecclesiam & sine Capitulo nullam habeant prærogativam, & agatur cum eis, ac si non essent Coadjutores. Unde in concursu cum aliis sacerdotibus non præcedant nisi ratione antiquitatis in Ordine; pro quo citat binas declarationes S. Congregat. Rituum. Primam in Anconitana. 18. Martii 1623. hujus tenoris: S. Congregatio censuit Coadjutores Dignitatum extra Ecclesiam nullam habere privilegium; sed præcedentiam inter omnes servandam esse, ac si non essent Canonici. Alteram in Laudensi 7. Martii 1637. hujus tenoris: S. Congregat. ad instantiam Dignitatum & Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Laudensis respondit: Coadjutori Dignitatis extra Ecclesiam & actus capitulares nullam debere præminentiam seu prærogativam supra antiquiores in Ordine sacerdotali, &c. Quin & n. 16. tradit, quod nedum Coadjutori, sed neque veris Canonicis uti singulis interessentibus ulla competat præcedentia extra propriam Ecclesiam supra Parochos, neque ulla prærogativa; imò nec locus respectu aliorum presbyterorum juxta expressam declarationem S. Congregat. Rituum in Sutrina. 2. Novemb. 1603. & alteram in Cassanensi 19. Martii 1650. quarum tenorem ibidem recitat. Ex quibus jam patere ait n. 12. S. Congregatio nem recessisse ab antiqua sententia, quod Coadjutores extra Ecclesiam habeant prærogativas uti veri Canonici. Porro dum dictum gaudere illos, saltem intra propriam Ecclesiam iisdem prærogativis & præminentii, quibus Coadjuti, idipsum etiam accipiendum cum modificatione illa, nimirum reservatâ semper aliqua supereminente prærogativa Coadjuto tanquam Prælati principali. Remouch. loc. cit. n. 4. fulget siquidem Coadjutor radiis Coadjuti, non propriis. Gonz. loc. cit. n. 106. adeoque nil obitet, quod representet personam sui principalis; minus enim fulgere censetur, qui propriis quam qui alienis fulget radiis. Engels ad tit. de Cler. agrot. n. 5.

Quæstio